DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
PERTRACTANS

ARTHRITIDEM,

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM,
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
LAUREA
RITE OBTINENDA,
IN
CELEBERRIMA
C. R. ACADEMIA JOSEPHINA
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Aloisius Erlewein,
Austriacus Viennensis.

In Theses adnexas disputabitur in Academiae Josephinae aedibus die, mensis Maji anni MDCCCXXXVII.

VINDOBONAE.
TYPIS CONGREGATIONIS MECHITARISTICAE.

Ex jam dictis liquet, eum, qui hujusce morbi curationem molitur, id negotii sibi dari debere credere, ut totius corporis habitum immutet, atque illud ad pristinam constitutionem resignat, quantum per aetatem et reliquas circumstantias fieri possit: quod in paroxysmorum interstitiis, non ipsis paroxysmis annitendum est.

Sydenhamus,
tract. de podagr. pag. 166.

Principiis obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras. —

Ovid.

SPECTABILIBUS DOCTISSIMISQUE

DOMINIS DOMINIS

LEOPOLDO MALFATTI,

DE ROHRENBACH AD DEZZA ETC. ETC.

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, ARTIS OBSTETRICIAE ET OPHTHALMIATRICIS MAGISTRO, REGIMINIS EQUESTRIS PRINCIPIS A COBURG C. R. MEDICO CASTRENSI SUPERIORI,

ET

PATRUELI SUO

LUDOVICO MALFATTI,

DE ROHRENBACH AD DEZZA ETC. ETC.

JURISPRUDENTI SAGACISSIMO ATQUE INTEGERRIMO,

VIRIS

HUMANITATE INSIGNIBUS,

COLLEGARUM AESTUMATISSIMIS,

AMICORUM DILECTISSIMIS,

SODALIUM A PUERITIA SUA FIDELISSIMORUM

INTIMIS

HAS

LITERAS

IN PERENNEM SUAE AMICITIAE MEMORIAM

NEC NON

PIUM GRATIAE INEXPIABILIS DOCUMENTUM

SACRATAS

ESSE VULT

Auctor.

PROOEMIUM.

Difficillimam certe, imo vanam, agnosco, mihi operam imposuisse, qui morbum, vix nomine, multo minus natura sua notum, pertractandum susceperim. Et multifariae ab inclitissimis omnium annorum medicis de natura atque proxumo hujus morbi origine pronuntiatae theoriae, variae in ea definienda et tractanda allatae descriptiones, cunctaque de illius decursu tractata a suscipiendo ingrato labore me non deterruere; praesertim, quoniam partim in clinico nostro, partim etiam, — et crebrius, — alias, in diversis individuis, Arthritidis originem, decursum et tractamen animadvertendi occasionem nactus fueram. — Hinc immortalis *Sydenhami* doctrinam, quemadmodum inclitissumi medici Equitis *Josephi a Vering* scripta et celeberrumi *Richter* enuntiata sequutus, illa mihi prae caeteris elegi et comparavi, quae opinioni meae convenientia adparuere.

Ad faciliorem totius morbi conspectum, undecim illum sectionibus pertractandum putavi.

Primo: quidem agam de nomine;

secundo: sistam definitionem;

tertio: varias perlustrabo causas;

quarto: multifarias de illius natura adducam hypotheses;

quinto: exponam divisionem;

sexto: tractabo Aetiologiam;

septimo: afferam similitudinem atque discrimen illum inter et maxume illi cognatum morbum, Rheumatismum;

octavo: nonnulla de propria illius sede commemorabo;

nono: versabor in prognosi statuenda;

decimo: exitus, in quos ruit Arthritis, considerabo; et tandem

undecimo: et therapeutica et diaetetica momenta dilatare sum quaesiturus.

I.

Nomen.

Arthritis, Malum articulare, Morbus articularis, Dolor juncturarum, Dominus morborum, Morbus dominorum, Arthralgia, Morbus tartareus *), Rheuma, Gicht, Gliederweh, Gelenkkrankheit, Podagra, Zipperlein, francog. Goutte, Angl. Gout.

Veteres, praesertim vero pathologiae humoralis auctores essentiam Arthritidis, quemadmodum multifariorum symtomatum morbosorum in metastasi Guttae cujusdam acris in parenchyma organorum quaesivere; quod verbum, sc. Gutta vel Gutte, proprie causam solummodo denotans, mox adhibitum, effectum designandi causa; hinc Synonymum cum malo articulorum, Podagra.

II.

Definitio.

Intelligimus sub Arthritide illam ex turbata cutis, organorum assimilationis se- et excretionis functione enatam, absolutam vel relativam abundantiam sanguinis cum morbose alterata qualitate, quae sublata har-

---

*) Antiqui concrementis atque exsudatis ab Arthritide formatis nomen: Tartarus assignarunt, hinc nomen.

monia systema sanguiferum et lymphaticum inter et nervosum, morbose alteratam conditionem cuncti corporis, ocius citius decurrentes specificas inflammationes in una alterave corporis parte, cum impeditis functionibus, organorum desorganisatione seu productione morbosa, provocat.

Multum vero abest, ut credam, me omnia jam hisce declarasse, quippe sagacissimus medicus atque adcuratissimus observator *Sydenhamus*, triginta quatuor per annos hoc morbo laborans, ipse fatetur, quam difficile sit, hunc morbum definire.

III.

C a u s a e.

Causas Arthritidis indagando inquirere oportet in proxumas atque remotas, quemadmodum in quolibet alio morbo. Quum vero illae originem debeant remotis, et has Aetiologiae conformiter prius illustrare conemur.

In Arthritide minus adhuc, quam in alio morbo remotae et proxumae causae a se invicem strictis limitibus separari possunt. Illae enim sine eximia praesenti dispositione, nimie incitantes, quemadmodum hae, quin noxii adsint influxus, Arthritidem provocare queunt; hinc facile explicandum, cur quaedam causalia momenta alii proxumis, alii remotis adnumerent. —

Adnumeramus remotis: Subitam temperaturae mutationem, praesertim sub aëre humido; regimen nimis calidum; incongruum purgantium, roborantium, diaphoreticorum, stimulantium, antispasmodicorum medicaminum usum; balneorum cujuscunque generis, nec minus potuum spirituosorum abusum; casei, butyri, sacchari, salis, ciborumque nimis conditorum, aro-

maticorum, acrium, pinquium, et abundantem carnis commestionem; intemperantiam; intemperiem, sive activae seu passivae motionis; nimios somnos, praesertim mane morando in calidis lectis; frigidas lotiones subitas post lecti calorem, quin transpiratio intraverit normalis; subitaneam vitae rationis mutationem; nocturnas vigilias; nimium mentis exercitium; vitam lascivam; frequens puerperium; diu continuatam lactationem; subpressionem localium sudorum, se-et excretionum; incautam ulcerum, exanthematum, impetiginum et fontanellorum sanationem; graves cum succorum penuria venientes morbos; descisionem plicae polonicae; curas mercuriales, inter quas aegri aëris vicissitudinibus sese exponunt; subpresssionem febrium ex sordibus primarum viarum ortarum intermittentium; incongrua vestimenta etc. etc.

Datur dispositio arthritica, quae agentibus noxiis eo citius malum provocat, quo magis est exulta, haec saepius a parentibus natis haeredio relicta, per complures generationes propagatur, quamquam infantes nunquam prima a pueritia jam arthritide vexantur. Attamen arthritidis eruptio, quamquam praesente dispositione, vitando noxia, praesertim vero temperantia, saepius impeditur, hinc falsa nonnullorum sententia: »Dispositio semper generat Arthritidem.« — Nostrum quoque est, dispositionem (Anlage) ceu internum, discernere ab externo, ceu habitu (Aussehen) arthritico, qui patefit in hominibus torosis, sanguinolentis et pinquibus, cum capite rotundo, magnis ossibus, magis crassis, quam longis, et rudi epidermide.

Proxuma quaerenda in nimia, ex alterata functione cutis, assimilationis, organorum se-et excretionis enata quantitate sanquinis simul cum alterata illius qualitate, quae praesentibus supra dictis noxiis, dispositioni ar-

thriticae ansam praebet; quomodo id fit, clarius nunc exponere studeamus.

Ob sympathiam, qua epidermis cum organis abdominalibus gaudet, accidit, ut ex impulsu frigoris una cum retardata sanquinis circulatione in hepate, transpiratio cum felis secretione simul diminuetur, calore vero augeatur. Facile igitur intellectu, quomodo in hujus sequelam nimia saepiusque iterata temperaturae vicissitudo per retardatas, modo auctas ex sanquine secretiones, nimiam illius copiam atque alienatam qualitatem inducere soleat, et quidem eo libentius, quo magis cutis sensilitas est adaucta. Eumdem statum morbosum succi ex glandulis secreti etiam succo pancreatico, quocum intime miscentur, attribuunt. Per omnia haec, simul sanquinis venosi in arteriosum commutatio cohibetur, id, quod speciale Arthritidis momentum.

Quum vero sanquis, nutritionis fons, omnibus formationibus et cuicunque craseos alterationi praestet, ejus morbosa alienatione omnes partes corporis, cujus sanitas solummodo perpetuo renovato, ab omnibus nociferis potentiis libero, sanquine fovetur, ab statu normali differant, atque praedominante venositate, sanquis in systemate venae portarum sese accumulet*), exindeque arthritica dispositio excolatur, — oportet.

Hic simul nobis liceat, quaestionem inquirere: »an Arthritis morbus sit contagiosus,« ut asserere placuit *Boerhave*, *van Swieten*, *Barthezio* etc. etc. »nec ne?« —

---

*) Vena portarum sanquinem ex innumera parvulorum vasorum in cavo abdominis jacentium quantitate venientem, difficulter sursum versus ducit; exinde ex Anatomia jam elucet, quam facile stases sanquinis in venis abdominis oriantur, unde alterati intestinorum motus et turbatae functiones.

Effata sua de natura Arthritidis contagiosa exemplis declarant; manifestum enim est, ut experti sunt, homines sanos (?) vestibus arthriticorum indutos, nec minus conjuges invicem Arthritide infec·os esse, solummodo connubio. — Ego saltem, mea pro parte haud censeo, Arthritidem, quemadmodum typhum scarlatinam — variolas — etc. etc. esse contagiosam; quod jam patet ex illius origine; nascitur enim, ut supra declaratum, ex alterata sanquinis qualitate simul cum quantitate ob aberrantem in systemate venae portarum circulationem illius. Haud ergo credendum est, qua ratione tales externae in sanquinem vix unquam influxum quemdam exserentes potentiae, hanc alienatam laticis arteriosi ac venosi mixtionem, quae ansam praebet Arthritidi, procreare valeant. Quicunque ergo, absque dispositione arthritica, causas illam procreantes evitare conatur, sine ullo infectionis timore, ipsis Arthriticorum vestibus indutus, cum illis moretur.

IV.

Hypotheses de natura.

Praecipuae de natura illius hypotheses juxta quas therapia modificatur, sequentes enumerandae videntur:

Veteres proxumam causam Arthritidis posuere in materia quadam propria arthritica, sicuti recentiores in materia noxia speciali, in sanquine exsistente, quam *Acrelius* (1787) superabundantem chyli partem arbitrabatur, et inde originem Arthritidis ex abundantia nutrimentorum deducebat; *Codoganus* (1772) ex nutrimentis, quae viribus digestionis singulorum non respondent; *Desault* et *Warner* (1768) ex subpressa cutis functione; *Grant* et *Stoll* (1788) ex sanquinis,

praecipue systematis venae portarum acrimonia; *van Swieten*, *Herisant* etc. etc. ex abundante in corpore acido, quod desumsere ex alcalescente urinae arthriticorum natura, ex acidulo sudoris odore, etc. etc.

Quibus placitis errorem inesse, satis adparet, sin perpendimus, has chemicas mutationes non in causis, sed in effectibus arthritidis collocandas esse.

Multo majoris certe valoris theoriae videntur, quae potius dynamice, ex interna alienatione originem deducunt. — Sic *Stahl* et *Tiefenbach* (1704) causam quaesiverunt in inflammatione, posita a natura ipsa medicatrice, ad tonum partium amissum, restituendum; *Cullen*, quemadmodum *Ideler*, in atonia tractus intestinalis; qua fit, ut acidi phosphorici accumulati, nec non nimia terrae calcariae copia justo tardius per urinam excernatur; *Sprengel* in dispari virium nervorum distributione, conjuncta cum atonia organorum abdominalium, cum congestionibus in articulos et subpressa salium phosphoricorum excretione per urinam; *Henke* in vitio quodam universali systematis reproductivi; Asseclae doctoris *Brown* illam posuere in asthenia generali, in articulis praedominante.

Fuissent sane innumerae adhuc adducendae, ast sat hypothesibus istis nil declarantibus. Quam nostri aevi inclitissumi medici sequuti sunt sententiam, jam prius, ubi de Aetiologia et definitione disserui, exponere conatus sum.

V.

D i v i s i o.

Musgrave, qui certe praeclare Arthritidis anomalias depixit, tamen in eo erravit, quod perductus variis complicationibus hujusce morbi cum aliis, accidens

pro essentiale sumens, tam diversas Arthritidis species assumserit; sic illam dividit in symtomaticam, rheumaticam, fixam, vagam, ex subpressione menstruum, ex Chlorosi exortam, scorbuticam, syfiliticam, asthmaticam, pyreticam, apyreticam, etc. etc.

Quamvis enim Arthritis in aliis individuis, aliisque morbi stadiis, aliis quoque se manifestet symtomatibus, sequens tamen divisio in Arthritidem regularem — irregularem et atonicam maxume naturalis, et omne aliud symtoma nil nisi complicatio et adparitio alterius alteriusve formae Arthritidis nobis esse videtur.

Arthritis regularis acuta — semper febri, cum typo intermittenti conjuncta est; aperta enim per intervalla aeger fruitur sanitate. Sic fere sine discrimine quemlibet paroxysmum partim locales, partim universales, diuturni modo, modo citius evanescentes prodromi, sub nomine Arthritidis imperfectae, praecedunt.

Dr. *Gardiner* illam vocat localem vasorum sanquiferorum turgorem vitalem adauctum, cum passione universi systematis sanquiferi et exinde lymphatici.

Arthritis chronica irregularis — sine prodromis et absque febri oritur. Discernitur a priori diuturno, in annos protracto decursu, suis remissionibus, irregularitate symtomatum, et exitu in transsudationes et desorganisationes organicas.

Definitur secundum Dr. *Gardiner*: Transgressus turgoris vitalis localis adaucti vasorum sanquiferorum in lympham, sine compassione universi systematis sanquiferi.

Arthritis atonica — non nisi viribus vitalibus debilitatis atque exhaustis, oritur.

Sub hoc enim statu, ut *Gardiner* ait, turgor sanquinis adauctus, aut imperfectam, aut penitus nullam in systema lymphaticum vim exserit; hinc diversa illius symtomata, quae non adperte adparentia, nomine Arthritidis retentae vel subpressae, veniunt.

Anomaliae ab Arthritide causatae tam variae sunt, ut neque induci omnes possint; inter illas sequentes praesertim noscendae:

Arthr. imperfecta, de qua supra sermo fuit, cujus paroxysmi irregulares, brevi durantes, sine omni ordine incedunt.

Arthr. interna — retrograda seu anomala — incongrua (sensu strictiori) nil nisi metastasis Arthr. regularis ad organa interna, praecipue illa, quae morbis praegressis, incongruo vitae regimine aut vitiis organicis antea debilitata sunt.

Ex retrogressu Arthr. regularis acutae libenter exoriuntur inflammationes encephali, spinae dorsi, pulmonum, cordis, intestinorum, renum, vesicae urinariae, uteri, exsudata lymphatica in cavo cranii et spina dorsi.

Ex metastasi Arthr. irregularis chronicae perturbationes functionum mentalium, circulationis sanquinis, diuturna thoracis et abdominis mala; morbi varii oculorum, aurium, epidermidis, ossium, depositiones in renes, in vesicam urinariam etc.

Arthr. vaga modo hanc, modo illam ludit faciem.

Indefinita atque manca Arthr. divisio repetenda ex ipsis indefinitis diversisque symtomatibus, quae, prouti hanc aut illam ludit formam morbus, adeo sunt variabilia, uti: Dyspepsia, nausea, vomitus, ructus, cephalalgia, asthma, syncope, cordis palpitationes, corporis delassatio, dolores vagantes modo, modo fixi,

spasmi, vertigo, mentis alienationes; — tumores ossium, ulcera etc. etc.

Quo serius morbus adparet, eo majoribus intrat intervallis, atque eo mitior est; sic econtra. Stricta symtomatologiae descriptio centum et plures expleret pagellas, de quibus omnibus mentionem faciendi et tempus deest in hoc opusculo, et locus.

VI.

Aetiologia.

Profundius certe antiquiores morbi naturam atque essentiam indagari conati sunt, quam medici nostri aevi, naturam illius, dum phlogosin contemplantur, fere penitus ignorántes. In genere Arthritidis proxuma causa quaerenda in specifico morboso producto, in anomalia functionum systematis Venae portarum, atque alienata sanquinis mixtione, formatione specialis materiae arthriticae, quae, quum solida ex fluidis formentur, in sequelam hujus organicae alienationis, speciali arthriticae constitutioni ansam praebet; quae alienata sanquinis mixtio, praesertim systematis Venae portarum, praedominio combustibilium, et exinde enatae materiae peccantis, sc.: Azoti, salium phosphoricorum, nitricorum, urinosorum etc., exorta videtur.

Functiones corporis omnes contemplando, sub formatione hujus morbi, inveniemus, digestionis opus in ventriculo et toto tubo alimentari vita lasciva, subtractione alimentorum idoneorum, defectu motus, assidua mentis exercitatione etc., creberrumis turbationibus obnoxium. Oriuntur enim stagnationes ex retardata succorum circulatione, — ex sublata — vero: obstructiones, quibus succi postea condensantur. Subinde organa digestionis labefactantur, sanquis per Venam portarum tar-

dius circulans stagnat; Felis, quemadmodum chylus pravae conditionis secretus digestionem retardat, sanquinem venae portarum incongruis principiis onerat, liberam circulationem impedit, in cujus sequelam diversissuma mala.

Facile ex antedictis sententia explananda est, ut Dores *Callisen*, *Sydenhamus* et alii asserunt: — »Hominem sagacem eruditumque stupido crebrius a podagra vexari.« — In literis exculti, consuetique, studia sua in noctem prolongare, creberrume huic morbo succumbunt; et verum est effatum, sin simul luxui dediti sunt. Sub tali enim perniciosa consuetudine ventriculi corruptio, transspirationisque retentio oritur, quae ambo primarium sistunt fontem geneseos Arthritidis.

VII.

Arthritidem inter et Rheumatismum discrimen.

Ob magnam horum morborum similitudinem, opere pretium est, essentialia momenta, quibus discrimen inter utrumque innititur, disquirere. Quamobrem naturam seu essentiam cujuscunque horum morborum contemplemur. — Uterque statum irritativum vasorum lymphaticorum magis, quam arteriosorum sistit, cujus sedes in Arthr. in articulis atque ligamentis (quod jam nomen ipsud, sc. Arthr. ab *αρθρον*, i. e. articulus, nobis arguit), sub Rheumatismo vero in musculis, tendinibusque versatur, ita, ut illa qua affectio organorum sensibilium, hic vero irritabilium adpareat.

Quid de causa valeat Arthr. jam supra commemoratum; Rheumatismus subito, quin praedispositio quaedam exposcatur, ex vehementi causa occasionali, ut ex refrigeratione, oriri potest, quod non cum Arthritide.

Quibus compensis diagnostica symtomata agnoscimus sub Arthr. dispositionem haereditariam, stadium prodromorum, invasionem nonnisi aetate provectiori, sedem in articulis atque difficilem tractationem; sub Rheumatismo: absentiam dispositionis, prodromorum, originem in junioribus et saepe invasionem post externos influxus, post refrigerationem, sedem in musculis. Prae partibus adortis, causis diversis, saepius iteratis paroxismis, nexuque intimo cum universo corpore in Arthr., haec quoque notatu digna sunt, quod in Rheumatismo acuto dolor atque febris sine remissione cunctam per diem perdurat, sub Arthr. vero remissio interdum, interdum quoque intermissio intrat de die, quam vespertina vel nocturna sequitur exacerbatio.

VIII.

Sedes.

Nunquam sub hoc morbo dolor alias, quam in articulis, Aponeurosibus et ligamentis, propria et peculiari ratione sese inflammantibus, nidulatur, omniaque innumera atque diversa, quae in cunctis corporis partibus obveniunt mala, non Arthritidis, sed potius postumorum ab illa causatorum morborum sunt indicia. His simul ad verbum sententiam adjungam medici *Nicolai Pisonis*, qui de sede illius disseruit: »Et cum *αρθρον*, id est articulus, sit ossium connexio per ligamenta, non in omni conjunctione articulorum est dolor, ut in ea, quae per symphysin fit; sed tantum in ea, quae per diarthrosin, aut synarthrosin.« —

Creberrume adoritur articulos pedis et imprimis hallucis, tunc nominatur: Podagra; — nonnunquam ulteriori decursu articulos humeri, tunc: Omagra; —

aut antibrachii et digitorum, cui nomen: Chiragra; — aut cubitus, cui: Pechyagra; — seu genu, cui: Gonagra; — sive coxarum, nomine: Ischiagra, — Lumbago; — vel spinam dorsi, quod: Rachyagra; — modo maxillam inferiorem et dentes, quod: Odontagram; — modo etiam, sed rarius, universum patitur corpus, quam: Arthr. universalem adpellamus.

IX.

Prognosis.

In genere Arthritis semper morbus est difficile sanandus, dolorificus, et non raro ipsi vitae insidiosus. Vix enim alia datur passio, quae tam pertinaciter organismo inhaerens, difficilius illa extinqui possit, nisi noxiae illam provocantes, ex integro deleantur, paroxismi in corpore robusto fortique obveniant, regulariter decurrant, et citas perfectasque faciant crises; tunc enim, ast paucis solum casubus, radicaliter sanatur. Nimis vero perniciosa redditur ob facile insequentem metastasin ad partes internas atque ob morbos ex illa promanantes postumos.

Quamquam ob varietatem symtomatum morbosorum vix unicus datur morbus, qui non arthriticam induere possit naturam, tamen ex innumeris ab Arthr. causatis malis sequentia adducere vellem:

Affectiones partium externarum sic dictas rheumatico-arthriticas, praesertim in partibus membranosis, ut: Ischiadem nervosam Cotunni, Prosopalgiam (dolorem *Fothergilli*), Odontalgiam arthriticam, Cephalagram, Hemicraniam etc.

Inflammationes acutas partium internarum et externarum, ut: Erysipelas, Anginam membranaceam arthrit. Ophthalmias, Gasteritidem acutam etc.

Blenorrhoeas, ut: Medorrhoeam et fluorem album arthrit., Blenorrhoeam ventriculi, tubi intestinalis, vesicae urinariae etc.

Haematoses, ut: Epistaxin, Haemoptoën, Haematuriam, Metrorrhagias etc.

Ulcera ubicunque, libentissume vero in affinitate articulorum.

Febres intermittentes et continuas.

Impetigines, ut: Scabiem, Herpetem etc.

Affectiones ventriculi et tubi intestinalis, ut: Dispepsiam, Vomitum chronicum, Soda, Pyrosin, Bulimiam, Tormina, Colicam, Diarrhoeas, Dyssenterias etc.

Morbos viarum uriniferarum, ut: Ischuriam, Dysuriam, Enuresin, Lithiasin etc.

Morbos genitalium, ut praeter Blenorrhoeas, nimiam sensilitatem, exinde: Priapismum, Pollutiones; irregularem menstruationem, scirrhum uteri etc.

Morbos thoracis, ut: Dispnoea, Asthma, Phthysin etc.

Cordis et vasorum sanquiferorum, ut: Angustationes, pulsum spasmodicum, inaequalem, subpressum, Vertiginem, Cardiopalmum etc.

Cerebri, ut: Vertiginem, Syncope, Lypothimiam, Apoplexiam etc.

Neuroses varii generis, generatim sub nomine Hypochondriae et Hysteriae.

Quod varia haec mala diverse modificent prognosim, haud ignotum.

Haec generatim; specialis desumitur prognosis ex modo et ratione excultionis Arthr. ex morbi causa, duratione, illius sede, forma, complicatione cum aliis morbis, nec non ex individualitate aegri, et vitae ratione atque tractamine hucusque inducto, quae singula dilustrare coner.

Infaustior prognosis in Arthr. ex vita lasciva, quam ex alia causa exculta; febres arthriticae et paroxismi rapide decurrentes insidiosiores vitae sunt, quam chronice decurrentes, ex his vero libentius metastases oriuntur, sub quibus haud unquam fausta, et eo infaustior, quo nobilius est organon correptum; Arthr. nervosa vero difficillume sananda. — Quae originem debet dispositioni ex noxiis supra enumeratis sensim sensimque se excolenti, infaustam agnoscit, et eo magis, quo minus illae ab aegro aut medico arcendae sunt, ut endemicae. — Quo diutius duraverat, quo inveteratior est, quo pertinacior corpori inhaeret, et quo plures partes, pluraque organa correperat, eo difficilius sananda. — Acuta, regularis, plerumque Arthrophlogosibus conjuncta faustior ob crises perfectas, quamquam libenter recedat; quod minus sub chronica, irregulari timendum, quae vero facile in organicas abit destructiones. — A. vaga ob recessum ad partes internas perniciosa, quemadmodum omnes anomaliae; — A. retrogressa saepe subito mortem infert; — A. secundaria semper pejor primaria. — Sic quoque impetigines, ulcera, blenorrhoeae etc. ex Arthr. pertinacius, quam ex alia causa exorta, decurrunt. — Respiciendo formam et sedem, pauciores agnoscit difficultates, Podagra; plures jam: Gonagra, Chiragra, Omagra, Pechiagra; maxume vero resistit Ischiagra, Lumbago et Rachyagra.

Nimie prognosis turbatur ex complicatione cum aliis morbis. Complicatur cum Scrophulis, Syphilide, Scorbuto, Scyrrho, habitu apoplectico, phthisico etc. etc. Sub talibus enim complicationibus certa therapia non est instituenda, navigantes enim Scyllam inter et Charybdin unum malum eliminandi studendo, aliud depravamus. — Sic aetas, constitutio, vitae ratio, animi

pathemata, vicissitudines aëris, anni tempora, quemadmodum tractamen diaeteticum et therapeuticum, modo favent, modo etiam prognosin infestant. Plerumque assumitur, morbum facilius in junioribus, quam senioribus individuis sanandum esse ob fortiorem naturae medicatricis reactionem, quod haud denegandum est (sub circumstantiis), quodsi enim sopitans morbus, (quo statu aperta quidem homo fruitur sanitate, caelata autem viget dispositio) quibuscunque potentiis, sub aetate juvenili sese explicare cogitur, tunc eo pertinacius malum inhaeret, eo rapidius progreditur, et in plurimas ac maxume perniciosas ruit anomalias. Tricesimum inter et quadragesimum quintum annum sub forma Podagrae sese excolens Arthritis, insanabilis quidem assumitur ob metamorphoses aetate provectiori obvenientes; nilominus tamen tales aegri stricto regimine, diuturna fruuntur vita. Quod constitutio irritabilis et temperamentum sanquineum aut cholericum minus, quam sensilis et lymphatica constitutio morbo faveat, jam ex Aetiologia patet; exinde etiam explicandum, quod perniciosior sit sexui debiliori, praesertim, quum annis climatericis illum adoriatur. — Aestate, et generatim sub aëre sicco, calido, faustior est prognosis, quam vere et autumno sub humida, frigida, variabili tempestate. Facilius sanantur ab illa phlegmatici, difficilius melancholici, valde volatilis est in sanquineis et ad metastases praesertim ad cerebrum et medullam spinalem prona in cholericis. — Experientia vero edocti sumus, quod saepe vehementissumae et periculosissumae Arthritidis formae feliciter sanatae sint.

X.

Exitus.

Exitus, in quos ruit, aut sunt: sanitas, sive alii morbi, seu mors.

In sanitatem: brevi duratione, minori vehementia, in juvenibus et robustis individuis, si nondum producta morbosa exorta sunt, stricto regimine et justa therapia, per crises, quae sunt: profusa cutis transpiratio, urinarum adaucta excretio multo cum sedimento; in quo calcis phosphoricae magna reperitur quantitas; fluidae alvi depositiones, vehemens pruritus et formicatio in parte morbosa, saepiusque epidermidis desquammatio.

In alios morbos: diuturna duratione, majori vehementia, in senioribus et debilitatis individuis, incongruo regimine et perversa therapia. Tales morbi secundarii sunt: Saepissume inflammationes post subpressos singulos paroxismos, uti: inflammationes cerebri, medulae spinalis, pulmonum, cordis, intestinorum abdominalium, renum, vesicae urinariae, uteri; enteritis, colica, dyssenteria, cholera, phthysis, hydropes, creberrume ascites, arthrophyma, hydrothorax, exsudationes lymphaticae in cavo cranii et spina dorsi; neuroses, ut: tetanus, epilepsia, convulsiones, prosopalgia, cardialgia, ischias, surditas, amaurosis; vesaniae, ut: moria, mania, melancholia, fatuitas etc. etc.

In mortem, primarie raro, nisi praesentibus haemorrhoidibus, nimiis profluviis, secundarie vero metastasi, inflammationibus, hydrope, phthysi.

XI.

Therapia.

Quum nullus, ut supra commemorati sumus, exsistat morbus, in cujus tractamine magis periclitamur, morbi naturae adversa medicamina porrigere, quam in Arthritide, tantum adcurata cognitione naturae hujus morbi eo perducimur, quod conformes sistamus indicationes, secundum quas apta adhibeamus medicamenta. Indicationes, quae justam nos jubent instituere therapiam, sunt sequentes:

1. Morbum, qua possibile, praecavere.
2. Tollere, aut tamen insontes reddere noxias, quae illum generavere, causas.
3. Formatum morbosum neutralisare et eliminare.
4. Paroxismos singulos, qua crises naturales tractare, et non subprimere.
5. Complicationes rite dignare.
6. Inducta reconvalescentia partes solidas roborare.

---

1. Optime morbus praecavetur evitando causas supra enumeratas proxumas atque remotas, hinc stricto regimine atque diaeta, quod illi imprimis observent, qui a parentibus arthriticis geniti fomitem detestabilem in organisatione, data occasione erumpentem, jam ferunt. Complectitur vero regimen non modo cibum et potum, sed et omnes caeteras a veteribus haud naturae conformiter, nuncupatas sex res non naturales, uti sunt: aër, cibus et potus, motus et quies, somnus et vigilia, retenta et excreta, applicata et mixta.

Refrigeratio, praesertim pedum, quemadmodum constitutio tempestatis, qua momentum ad habitum arthriticum praedisponens habetur; sic tempestati muta-

bili, subitae vicissitudini humiditatis et siccitatis, frigoris et caloris, atque aëri humido frigido sese subtrahant. Hinc insultus libentissume oriuntur tempore vernali atque autumnali, variabili coelo; tunc in regionibus ad maris litora sitis, multis stagnantibus aquis impletis, pluviis; quae omnia sedule praecaveantur.

Perfrequenter nimius ciborum varie conditorum, pinquium, difficile digerendorum etc., frequentius vero spirituosorum potulentorum abusus favet Arthritidi. Gulae suae et Bacho libans ebrius, ventriculumque suum indefinito et irregulari tempore saepius sordibus peregrinis onerans, ocius serius cupidinem luet Arthritide, haud cito debellanda, quam lubentius vini acidi et Rhenani procreare valent. Damnemus hinc spirituosa, cibos conditos, artificiales, pinques, oleosos, salinos, mucilaginosos, farinosos, carnem fumo conditam, indigestibilem.

Evitemus vitam sedentariam, praesertim subitum ex vita exercitata in sedentariam transgressum, faventem stasibus intestinorum et idcirco Arthritidi.

Literarii, quibus damnanda consuetudo, in noctem usque continuare studia, non perenne fatigantibus mentemque nimie lacessantibus studiis incumbant; exinde enim tubi alimentaris laxitas, transpirationis retentio, et acrium materiarum genesis. Haec quoque causa, cur literis exculti tam libenter adoriuntur hoc morbo; quibus jam *Sydenhamus* quam maxume recommandat mature, praesertim hyeme, quaerere lectum.

Sat de retentis et excretis sub articulo, de causis agente, loquuti sumus, brevi solum commemoramur: materies a natura ad excretionem destinata, quemadmodum ex consuetudine naturalis facta excretio non retineatur; subito ne subprimantur sudores; ulcera diu

durantia neve cito cicatrisentur, habitualesque impetigines non sanentur.

Quae valent de perverso medicamentorum purgantium, roborantium, diaphoreticorum, stimulantium, narcoticorum, praecipue vero oxydorum metallorum, ut plumbi, mercurii etc. usu, facile perspicimus, sin consideramus sequelas exinde emanantes.

Haec brevi dicta generatim valent de regulis diaeteticis, quas, rite perpendens, qui sequitur, indicationi nostrae primae conformiter, optime Arthritidis eruptionem praecavetur.

2. Huic, quamquam rarius sub Arthritide, quam in alio morbo explendae indicationi, partim succurrimus, dignando primariam. Singulis noxiis rationale tractamen opponatur. Si exorta est ex abusu plumbi, mercurialium, aut aliorum metallicorum praeparatorum, optime indicata sunt sulfureta, et alcalia. Morbum ex abusu acidorum, et acrium potulentorum seu talium medicamentorum procreatum, tollunt absorbentia, alcalia, cum tonicis mixta. Congestiones tollantur, stagnationes removeantur, obstructiones solvantur, crasis inepta alteretur remediis cuilibet statui adaequatis, serius adducendis, quae arthritidem quidem non sanant, sed tamen intensitatem singulorum paroxismorum minuunt, regulari decursui favent, aut illum per complicationes interruptum revocant, et sic aegrum caeteris indicationibus praeparant.

3. Huic indicationi ut satisfaciamus, se- et excretiones, nec non digestionis et assimilationis opus rite dignemus, oportet, quo fit, ut crasis inepta in succum et sanquinem translata eliminetur per hasce vias, et metastasis ad articulos praecaveatur, vel saltem diathesis metastatica minuatur. Hae viae, eliminationi maxume idoneae, sunt praesertim cutis et viae urinales, in quas

omnia fere, Arthritidi (specifice) opposita medicamenta ex serie diaphoreticorum et diureticorum desumta effectus suos exserunt salutares. Quoad digestionis et assimilationis opus jam ex Aetiologia edocti sumus, haec organa praecipuum fomitem sistere Arthritidis, ex congestionibus, stasibus et obstructionibus intestinorum abdominalium oriundae, in quam praecavendam aut depellandam immediate jam agimus emeliorando processum digestionis et assimilationis; cui vero semper evacuatio praesentium sordium primarum et secundarum viarum antecedat. Omnia vero medicamina porrecta ab assimilationis organis facile et diu perferri, atque successive propeditis se- et excretionibus, sanquinis, et in hujus sequelam totius corporis qualitatem alteratam emeliorare debent. In longum protractus usus diaphoreticorum, diureticorum et purgantium, ab initio quidem fausto successu adhibitorum, serius pejorem reddit morbum. Idiosyncrasiae observandae; hinc forma eligenda, quam praediligit aeger. Quibus praemissis nonnulla ex omnibus fere pharmacorum classibus desumta, in Arthritide nimiopere celebrata remedia adducere mihi liceat, uti: Guajacum, Antimonialia, Mercurialia; Aurum; Purgantia; Sulfureta; Alcalia et Sapones; Plantas solventes; Roborantia amara, ferrata; Stimulantia volatiliora, fortiora; Narcotica; Aquas mineralibus potentiores, Balnea.

Quajacum et diversa praeparata. Adaucta systematis sanquiferi et lymphatici actione se- et excretiones per cutem, per urinam et alvum promovet et simul alterat; hinc nunquam sub statu febrili, optime vero laxis et phlegmaticis individuis praescribitur. Lenissime agit lignum et radix ab uncia 1 ad 2, vel pro se in decocto, vel aliis junctum; cum rad. Bard. Sapon. Liquir. et ligno Sassafras, ut decoctum specierum lignorum. Sen-

siliores tantum extractum bene perferunt, et optime forma pillularum.

Rp. Extracti Quajaci
— Trifolii fibrini
āā *drach. unam et semis*
Rasurae lign. Quajaci q. s.
ut f. m. pill.
form. ex. pill. pond. *gran. trium.*
Consperge pulv. sem. Lycop.
Dt. Sg. Früh und Abends 5 Stück zu nehmen.
v. Vering.

Resina Quajaci, quae in Arthr. chronica in mucosis, phlegmaticis adhibetur, et quidem cum Taffia parata tinctura ad duo cochlearia coffeacea quotidie, optime cum mucilaginosis, uti:

Rp. Tinct. Quajaci ammoniatae *unc. semis*
Mucilag. Gummi arab.
Syr. amygdal. āā *unc. unam.*
M. Dt. Sg. Täglich zweimal Einen Theelöffel voll.

Vel forma pulveris cum Cremore tartari; vel pillularum, cum Sulfure aurato; Mercurio dulci, Extracto Cicutae, Assa foetida, Sap. amygdal. ut:

Rp. Resinae Gummi Quajaci *unciam*
Sapon. amygdal. *drachm. duas*
M. exactiss. ut f. m. pill.
Form. ex. pill. pond. *gr. trium*
Consperge pulv. Cinnamomi.
Dt. Sg. Früh und Abends 8 Stück zu nehmen.
Theden.

Antimonialia cutis transpirationem adaugent, seet excretiones tubi alimentaris promovent et tali ratione morbosam diathesin sanquinis alterant; ast facillume assimilationis organa debilitant, hinc tantum in valida digestione, robustis individuis, diutius usurpata,

et minimis dosibus porrecta salutares effectus exserunt. Diversitas formae morbi et complicationum diversa praeparata indicat; sic Antim. crudum libenter adhibetur in morbis arthriticis cutis; Sulfur auratum vel Aethiopos antimonialis passionibus tracheae et pulmonum; *Jamespowder* morbis abdominalibus etc. Cautela, sin forma pulveris praescribuntur, observetur, ut ea cum Saccharo lactis misceamus, qua ratione actio augetur, et inimicus in vias digestrices influxus quodammodo tollitur. In atonicis mixtio Antim. crudi cum Sulfure et Quajaco laudatur, uti:

Rp. Antimonii crudi *drachm. sex.*
Florum Sulfuris *unciam.*
Resinae Quajaci *unc. semis.*
Syrup. cort. Aurant. q. s.
ut f. massa pill.
Ex qua form. pill. pond. *gr. trium.*
Consperge pulv. Cinnamomi.
Dt. Sg. Täglich dreimal 8 Stück zu nehmen.

Hufeland praesertim Sulfuretum calc. stibiat. laudat, roborantibus aut stimulantibus mixtum:

Rp. Stibii Sulfur. nigri *drachm. duas.*
Magnesiae carb. *scrupul. tres.*
Corticis Cinnam. *scrupul. duos.*
M. exactiss. ut f. pulv. aequab.
Div. in part. aeq. Nr. 12.
Dt. Sg. Täglich dreimal 1 Pulver zu nehmen.

Jamespowder optime cum Sulfure ordinatur:

Rp. *Jamespowder*
Florum Sulfuris āā *drachm. duas.*
M. f. pulv. aequab.
Div. in part. aeq. Nr. 12.
Dt. Sg. Früh und Abends 1 Pulver.

Mercurialia. Tutius sublimato (qui non nisi inveteratissimis casibus), Calomel agit. Omnia tubi alimentaris secreta reddit copiosiora, serosa et liquidiora; cutis ex aucta transpiratione fit madida et humida; lympha spissa dissolvitur, et liquidior reddita uberiusque circulans per vasa lymphatica resorptionis processum intendit, sanquis ipse magis serosus principia plastica amittit; nutritio exinde alteratur. Solventibus amaris aliisque antiarthriticis tali quantitate conjungitur, ut reactio praecaveatur in glandulas salivales, quamquam nonnulli auctores salivationem provocare studeant. Magis vero quam in alio pharmaco sub Mercurio strenuum regimen diaeteticum observandum est.

Aurum. Adhibemus, si diuturno usu purgantium, intestinorum sensilitas et actio systematis lymphatici debilitata est; et quidem Murias auri et Sodae, infricando linquae, dosibus tamdiu adscendentibus, donec reactio per turgorem adauctum et profusas se- et excretiones adpareat. Adnotandum vero, quod solum corpus praeparamus aliis medicaminibus.

Purgantia. Praeprimis in congestionibus, stasibus, infarctibus, plethora abdominali, et complicationibus cum haemorrhoidibus, hypochondria, scorbuto, inepta bilis secretione salutifera sunt, quum secretiones in omni peripheria organorum abdominalium moveant. Praeter alia adducimus: Saponariam, Cichoreum, Cochleariam, Beccabungam, Nasturtium aquaticum, extr. Chelidonii, radicem Enulae, Arnicae et Polygalae Senegae, Rheum, Aloën etc. Purgantibus calefacientibus hac ex causa libentius utimur, quoniam non tam crebro quemadmodum alia, digestionis organa debilitent. Salia purgantia hinc nunquam adhibeantur.

Sulfureta. Agunt diaphoretice cutis metamorphosin propellendo et secretiones omnes cavi abdominis au-

gendo atque alterando, hinc optimo successu plurimis copulantur remediis, sed stases praesentes prius solvantur, oportet. Non porrigantur erethisticis cum habitu sicco. Solito adhibetur lac et flores sulfuris, quin caetera praeparata excludamus. Aquae sulfure potentiores, ubi habentur, omnibus anteponantur; sunt aquae Aachenses, Töplitzenses, Warmbrunenses, Wisbadenses, Nenndorfenses, Beudenses.

Alcalia et Sapones. Solvunt stases, propellunt infarctus, dissolvunt obstructiones, et hinc alteratione organorum secretoriorum agunt. Noxius vero in digestionem influxus timendus est; ideoque non diutius, neque prostrata vi digestrice adhibeantur. Sunt Kali et Natron carbonicum (optime cum amaricantibus), aqua calcis, Spir. Salis ammon. anisatus, Spir. C. C. succinatus et sapones diversi. Laudat *Richter:*

Rp. Natri carbonici *drachmam.*
Extr. Absinth. *drachm. duas.*
Aquae Menth. pip. *unc. quatuor.*
Syr. cort. Aurant. *unciam.*
M. Dt. S. Viermal täglich Einen Eßlöffel voll.

Roborantia. Amissum organorum abdominalium tonum restituunt, atoniam vasorum lymphaticorum tollunt, laxitatem pellunt, et partes roborant, hinc libenter, si jam alterando egimus, sub fine curae adhibemus, de quibus serius sermo. Ad quae pertinent: Extr. Taraxaci, Graminis, Fumariae, Cardui benedicti, Trifolii fibrini, Quassiae; Colombo, Cascarilla, Cort. Aurantiorum, diversa ferri praeparata.

Stimulantia. Volatilia sub viribus debilitatis. Antecedant tonicis, quibuscum saepe conjunguntur, quo facilius haec remedia digerantur et assimilentur. Horum omnium optimus Acorus; grate enim afficit nervos et vasa sanquifera, et omnem vegetationem erigit; simili

ratione agunt: cortex Angusturae, Cascarillae, rad. Caryophyllatae, cort. Chinae; stimulum enim partim fugacem, partim quoque permanentem exserunt. Nonnulla acria, ut: Colchicum autumnale. Exagitando systema sanquiferum et lymphaticum, nec non augendo se- et excretiones, diathesin minuere et paroxismum solvere potest. Guttatim tam diu adscendimus, donec disparentibus symtomatibus morbosis reactio febrilis adpareat. Sub usu semper irritamenta cutanea foveantur, et non, nisi valde phlegmaticis, si leniora non sufficiunt, exhibeantur; sic Scilla marina separatorum munus fortiter expedit, hinc salutaris effectus.

Narcotica. Quorum nonnulla principio acri, atque propria sua, reproductionem alterandi, vi, qua pollent, salutifera in Arthritide evadunt. Laudatur extr. Aconiti in casibus non adeo inveteratis, stasibus antea solutis; forma pulv. pill. et solutionis.

Rp. Vini Antim. Huxh. *unciam.*
Solve
Extr. Aconiti *drachmam.*
Tinct. Quajaci *drachm. duas.*
M. Dt. Sg. Täglich dreimal 4 Tropfen zu nehmen.

Rp. Herb. Conii macul. *dr. unam et semis.*
Extr. Aconiti *scrupulum.*
M. exact. ut f. m. pill.
Form. pill. pond. *gr. unius.*
Consperg. pulv. Cinnam.
Dt. Sg. Täglich dreimal 6 Pillen zu nehmen.

Cortex Pruni *Padi* a *Bremer* celebratus, forma decocto infusi. Corticis uncia una infundatur duplici quantitati spiritus vini, cum quinque partibus aquae diluti, et remanens coquatur cum octuplo aquae; decoctum cum infuso mixtum colatumque exhibeatur cochleatim omni bihorio. Digitalis purpurea et Dulcamara in malo

chronico, a secretione urinarum retardata, et simul vasis arteriosis incitatis, adhibetur. Rhododendron Chrysanthum a *Kölpin* et *Metternich* praeprimis usitatum. Diutius adhibitum vasorum sanquiferorum et lymphaticorum actionem erigit, functionem cutis et urinae propedit, et resorptionem impellit alacrioremque reddit. Exhibemus decoctum ad uncias octo, ex foliorum drachm. duabus paratum, bis de die dimidium vasculum coffeaceum; extractum et pulverem a granis decem ad scrupulos duos de die.

Balnea. Quae certe omnium primum obtinent locum; internorum enim remediorum actionem adaugent, et saepe saepius, caeteris inefficacibus, medelam adtulere. Effectus salutaris patefit ex irritamento, quod exserunt in cutem, erigendo vasa capillaria, aperiendo poros,. fovendo transpirationem, quo fit, ut unus primariorum separatorum munere suo bene fungatur. Adhibemus frigida et calida. Priora augent tonum fibrarum et deprimunt sensilitatem adauctam; sed aeger sensim sensimque a calidioribus, quorum efficacia solutione salis culinaris augetur, transeat ad illa, cui saepius iterata cum spongia aquae frigidae inuncta frictio, quemadmodum illinatio universae cutis cum coeno substituitur; quod jam *Plinius* suasit: »Utuntur et coeno fontium ipsorum utiliter, sed ita, si illinitum sole arescat.« Excellunt thermae frigidae Pyrmontenses, Driburgenses, Schwalbachenses.

Efficacia thermarum calidarum dependet ab irritamento in nervos cutaneos et aucta resorptione systematis lymphatici, hinc optime a sensilibus, constitutionis siccae perferuntur. Excellunt thermae Aachenses, Wisbadenses, Badenses, Nenndorfenses, Toeplitzenses, Warmbrunenses, Eilsenses, Karlsbadenses, Pisaenses, Bagnieres etc.; quarum aliae sulfure, aliae acido hydrothionico efficaces.

Praeter haec adhuc innumera proponuntur vilioris vero conditionis medicamina, quae enumerare et locus deficit et tempus; generatim enim vix ullum, ex tota pharmacologia depromptum, exsistit medicamentum, quod certis circumstantiis aut complicationibus non indicaretur in Arthritide.

4. Primum conamen est, inflammationem in articulis tollere vel minuere, et tempore intervalli recidivam paroxismorum praecavere. Tempore durationis vero, neve unquam illos abbreviare conemur, considerandi enim sunt paroxismi qua crises, seu molimina naturae medicatricis, processum morbosum hac parte eliminandi, quae, si regulari suo decursu interrumpuntur, vel penitus subprimuntur, detestabiles et perniciosas minantur metastases in partes nobiliores. In genere regimen strictius observandum, uti sub indicatione prima loculentius disserui. Omnia vehementiora irritantia, narcotica, drastica, heroica evitanda sunt; optime agunt leniora diaphoretica et purgantia, optimum enim est, crises, qua possibile, per urinam, cutim aliasque vias introducere, atque diversa collatoria aperire, quorum functione subpressa variae inflammationes et metastases causantur.

5. Saepe cum Syphilitide, saepius adhuc cum Scrophulosi conjuncta occurrit; sic Scabies, Scirrhus, Carcinoma, Scorbutus, morbi organici, habitus apoplecticus, phthysicus aliaque mala complicationem sistunt. Quae mala diversas generant morbi anomalias, quae, omnibus saepe invitis, medicamentis pertinaciter resistunt. Primaria est indicatio vitalis; tollatur pro primo morbus periculosior majorisque momenti, tractando illum secundum characterem, formam et extensionem, priusquam therapia instituatur morbi levioris.

6. Quodsi per institutam therapiam morbum pro parte aut radicaliter dispulseramus, tunc magni certe sub stadio reconvalescentiae aestimanda est observatio, namque brevi post morbum perpessum magna adest omnium partium atonia cum nimia nervorum sensilitate, ita quidem, ut quicunque noxius influxus recidivam, priori multo perniciosiorem provocare soleat. Nunc tempus imminet, ad tonica, amara, adstringentia transgrediendi, semper vero respectu habito virium digestricium; non enim, quod indicatur, sed quod bene simul digeritur, nutritioni favet. Haec prima; secunda, sine qua omne tractamen insufficiens, conditio, est: adaequata diaeta justumque ex omni parte regimen. Cuncta, quae supra in explanatione primae indicationis, in morbum praecavendum nitentis, enumerata sunt, hic quoque valent.

Haec sunt, quae mihi statuenda videbantur de morbo, medicorum erroribus, opinionum et auctoritatum varietate, medicamentorum ex tota pharmacologia depromptorum diversitate diffamato: quem tractatum non acie critica, sed benigna venia, ceu dissertationem inauguralem a lectore favente dijudicari, praecatur auctor. Hac in causa commendat legentibus ponderare, scripta haec esse a viro, cui tamquam tironi, nequaquam sufficiens experientia inhaerebat, quam, ut sua ipsius placita de ea re publice proponere ausus fuerit; sed qui breve tempus cursus practici in eo consumendum putaret, ut omnia de ea materia praeceptorum auctoritatibus accepta, multa cum diligentia colligeret, atque cum aliorum clarorum virorum placitis, quoad contradictio non palam fiebat, conferret, omnemque materiam, summa, qua poterat, bre-

vitate, ad ordinem systematis, in quantum vires sufficiebant, penitus redigere adniteretur; quin censeret, se forsan quidquid praeclari aut adprobati protulisse, quod eum in tractanda atque sananda Arthritide duceret, haud enim ignarus est veritatis verborum a poëta P. Ovidio N. pronuntiatorum:

Tollere nodosam nescit medicina podagram.

Literatura.

Th. Sydenham, tractatus de Podagra et Hydrope. Lond. 1683. In's Deutsche übers. und mit Anmerk. v. Ign. Niederhuber. Landsh. 1792.

Guil. Musgrave, de Arthritide symtomatica. Oxon. 1703. De Arthrit. anomala. Oxon. 1707.

Stahl et *Tiefenbach*, de nova podagrae pathologia. Hal. 1704.

Costé, Traité pratique sur la goutte et les moyens de guerir cette maladie. Amsterd. 1757.

J. G. Pietsch, wahre Quelle und materielle Ursachen des Podagra's und aller Gichtkrankheiten überhaupt. Halle 1792.

Dr. J. Gardiner's Untersuchung der Beschaffenheit, Ursache und Cur des Podagra's u. s w. Aus dem Engl. übers. rc. Leipz. 1792.

P. S. Parthez, Traité des maladies goutteuses. Paris. Uebersetzt und mit Anmerk. von C. H. Bischoff. Berl. 1803.

Dr. K. G. Schmalz, Versuch einer medicin. chirurg. Diagnostik in Tabellen. Dresden und Leipzig 1825. Fol. 5. 15. und 16.

J. N. Edlen v. Raimann, Handbuch der speciellen medicin. Pathologie und Therapie. Wien 1826.

Dr. G. Aug. Richter's specielle Therapie nach den hinterlassenen Papieren des verstorbenen Dr. Aug. Gottl. Richter ꝛc. 6. Band, von den chronischen Krankheiten. Wien 1830.

Joseph Ritter v. Vering, über die Heilart der Gicht. Wien. Verlag der Mechitaristen-Congregations-Buchhandlung. 1832.

Theses defendendae.

I.

Morbis saepenumero temperamentum mutatur.

Zimmermann.

II.

Selenium non simplex corpus esse videtur.

III.

Liquor Ammonii hydrothionici antidotum contra plurima venena metallica.

IV.

Lythontripsi carere possumus.

V.

Quaevis suppuratio praegressam inflammationem supponit.

(*Contra: Van Swieten; tom. II.*)

VI.

In corpore corrivatio una, conspiratio una, consentanea omnia.

Hippocrates.

VII.

Omnem rerum naturae metamorphosin una parturit et cogit vis.

Tölteny, pathol. libr. I. §. 4. *p.* 5.

VIII.

Ut Pathologia absque Physiologia, ita absque Anatomia Physiologia inconstans. Physiologia multa, plura tamen adhuc Pathologia explicare non valet.

IX.

Divisio stimulantium secundum partes plantarum, efficacia principia continentes, nil valet.

X.

Venena et medicamenta gradu solum differunt.

XI.

Haemoptoë ex catameniis subpressis menstruatione tollitur.

Hippocrates.

XII.

Metritis gravidarum lethalis.

Hippocrates.

XIII.

Praestantissimum in phlogosibus Calomel remedium.

XIV.

Inter remedia, Diarrhoeas sanantia, Sal ammoniacus primum obtinet locum.

XV.

Permulta medico scire, pauca vero agere, necesse.

XVI.

Si a podagra liberari cupis, ut pauper sis, oportet; aut, ut pauper vivas.

Petrarch.

XVII.

Praecavetur podagricus insultus modo saltatione, modo diaeta.

XVIII.

Viennensibus a vinis acidis frequentissime podagra.

XIX.

Morbi acuti plerumque intra 14 dies discernuntur.

XX.

Oculorum morbi prototypum sistunt fere omnium corporis malorum.

XXI.

Nemini, qui febri laborat, inter paroxismum, testandi de jure facultas.

XXII.

Quae fiunt per somnia, imputari nequeunt.
